



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Exempla aliquot Crudelitatis in Catholicos. n. 35.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

illos qui pacem suam ponunt in tuenda secessione quam fecerunt à recta fide rectisque Ecclesiæ Catholicæ moribus, & *viam pacis* ( vt est apud Esaiam Prophetam ) *nescierunt.*

XXXV. Alterum est ad quod animum aduertere pretium operæ fuerit; Non eadem semper violentiâ læutum esse in Sacerdotes & Catholicos. Vt enim primis Ecclesiæ Christianæ temporibus fuere Imperatores & Iudices alij alijs læuiores, alij deinde mitiores; ita Elizabethâ regnante, cum Apostolo merito gloriari poterant orthodoxi in laboribus fuisse se plurimis, in Carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequentius: Feruebat enim ( vt in initijs pleraque ) hæresis, recenti odio incitata *Mariæ* Regina quæ omni conatu adlaborauerat labefactatam *Henrici* & *Edwardi* temporibus Catholicam fidem instaurare; tum etiam per suasione posse se vi & metu animos Catholicorum frangere, Sacerdotes ab instituto arcere. Mitius aliquanto egere *Jacobus* & *Carolus* si sanguinem spectes, quanquam & sub istis violenter nostris septem vita erepta est, & alijs pluribus; Catholici in fortunis grauiora perpassi sunt quam sub Elizabetha. Legibus etiam ( quas octauo libro recensui. ) vim suam obrinentibus, liberum erat Iudicibus, quoties vellent, his contra quoluisset agere, neque facile Reges quemquam qui in iudicium vocatus esset eximebant, cum palam refragari legibus, & Catholicis indulgere è re sua esse non iudicarent; Hinc *Edmundus Arosmithæus* Iudicis potius immanitate sublatus est quam Regis voluntate. Et postero die Catholicus alter pater familias; per causam quidem interfecti apparitoris, quem nè tetigerat quidem, fugerat etiam nè ab eo Religionis causâ insequente teneretur; Apparitorem hero imminuentem famuli insectati sunt; is fuga sibi consulens cecidit, & ex fractâ sibi ex calu tibiâ putrescente moritur. Id testibus probatum est, & ipsiusmet morientis iureiurando. Iudex tamen in vincula coniectum Catholicum necis peregit reum, & iussit plecti. Pridie quàm supplicio afficeretur, pedibus prehensum raptarunt ad fanum hæreticorum, capite ad terram toties impingente, vt detritos allisione crines sublequens populus colligeret. In fano pronus iacuit digitis in aures immisissis garrientem è suggestito Ministellum auersatus. Oblata est ei deinde vita, si vel iurare in verba solènia, vel fana adire vellet; utrumq; constanter recusans, & asserens se mille mortes pati velle potius, pendit, comes haud dubie illi in gloria qui pridie passus fuerat *Arosmithæo.*

XXXVI. Memorabile etiam est illud quod noster *Percæus* scriptum reliquit in aduersarijs de *Marmeduca Bowes*. Hic etsi fortunarum seruandarum causâ Protestantium ritus frequentabat, habebat uxorem liberisque Catholicos, & ad hos erudiendos pædagogum domi Aatholicum ( Catholico enim vt per leges non licebat ) Vxor in iudicium ea causa vocatur quod Sacerdotes domo reciperet foueretque: Maritus pro uxore deprecaturus sistit se comitio; rogat Iudices sui misereri velint & vxoris, neque legum pœnas exigere; esse se fidelem subditum; nihil domi agi quod perniciosum

Stantibus legibus esse semper se cuius anam persequendi vexandi. 2. Cor. 11. 23.

Exempla aliquot Cruditatis in Catholicos. Richardus Hurst.

Marmeduca cas Bowes